



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XX. Camberij religiosissimè habita Christi Sindon: miracula per eam
edita: flammaram vim vt euaserit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

frustrà tantùm, sed etiam fortasse iniuriâ sacram Sindonem Trecenses rem suam dixisse videbuntur, ei qui attenderit, quàm parum religiosè olim apud ipsos culta (quippe pro panno depicto, vt vidimus, habita:) quantum iuris ac potestatis fuerit Margaritæ Charniensi, clarissimæ feminae, in rem auo suo partam, & in intuto loco periclitantem: quanto denique prodigio, muli ex improviso consistentis, præpotens rerum omnium Deus, vt Ægypti quondam spolia Israëlitis, ita sacrum illud pignus Sabaudorum Principum fortissimæ piissimæque genti adiudicarit.

C A P V T X X.

Camberij religiosissimè habita Christi Sindon: miracula per eam edita: flammarum vim vt euaserit.

QVÆ pietatem religionemque commendant, sacra ædificia, diuinorum officiorum celebritas, numismata, anathemata, votiua peregrinationes, populorum concursus, curationes supra naturæ vim, aliaque prodigia; horum nihil Sindoni apud Allobroges defuit. Proximo anno ab acceptâ Sindone, Dux Ludouicus de diuino munere palàm gloriari cœpit, cufis ex auro, ære, & argento nummis, hinc vultus suos, inde sanctam

120 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
 ctam Sindonem ab Angelo trophæi instar subla-
 tam referentibus : cuius deinde pietatem imitati
 Carolus anno Christi M.CD.LXXXVII. & Emanuel
 Philibertus anno M. D. LXXVIII. simili emblemate
 sua aliquot numismata ornari voluerunt. Placuit
 hîc vnum omnium vetustissimum reddere ex
 Pingonio.



Firmius posuit suæ in sacrum linteum religio-
 nis monumentum Beatus Amedeus Ludoui-
 ci filius , piissimus Princeps , ac deinde ab an-
 no M.CD.LXVI. patre extincto Dux Sabaudiaë Ter-
 tius. Is primùm cùm Yolandâ coniuge, Caroli
 VII. & Ludouici XI. Franciaë Regum , huius
 sorore, illius filiâ , sacellum eleganti opere, intra
 arcis Camberiensis mœnia excitauit, quod Pau-
 lus II. Summus Pontifex dato Diplomate secundâ
 Maij anni M.CD.LXVII. in Ecclesiam Collegiatam
 erexit: & Sixtus IV. anno M. CD. LXXX. *Sanctam
 Cappellam sanctæ Sindonis* appellari voluit. Hinc
 Iulius

Iulius II. Diplomate Bononiæ dato, sexto Idus Ianuarij, anno M.D.VI. rogatu Caroli Ducis, eiufque matris Claudix, Philippi quondam Ducis relictæ, Sodalitium in sancto Sacello Camberienfi instituit, in quo ad quingentos censerî possent: quo in Diplomate asserit conspici in Sindone *imaginem & verum sanguinem Domini nostri IESV Christi*. Non solum autem Sodalitio multa concedit priuilegia; sed omnibus insuper fidelibus, certis diebus sanctam Cappellam visentibus, in eaque orantibus, Indulgentias quasdam largitur. Aliâ deinde Bullâ Romæ datâ septimo Kalendarum Maij M.D.VI. concessit, vt in eo Sacello diuinum Officium ritu peculiari celebraretur; diemque sanctæ Sindoni festum indixit, quartum Nonas Maias. Accesserunt postea aliæ noxarum remissiones à Laurentio de Campegiis & Bernardo Cardinalibus Legatis, datis litteris in S. Cappellâ Camberienfi decimâ octauâ Maij, anno M.D.XVIII. Pontificatus Leonis X. anno sexto. Alię deinde ab ipso Leone anno eodẽ M.D.XVIII. die septimâ Augusti. Quæ demum à decessoribus suis piè sancteque vel instituta vel concessa fuerant, Clemens VII. datis anno M.D.XXXIV. tabulis affirmavit. In donariis quæ multa tempus abstulit, illud non obscurum, capsâ ex argento inaurata ele-

Q ganti

ganti opere, quam Margarita Austriaca, Philiberti Sabaudia Ducis octavi olim coniux, sanctæ Sindoni asseruandæ obtulit, circa annum M.D.V.VT ex sanctæ Cappellæ archiuo constat; è quo ad hæc monumenta P. Franc. Chiffletius è Societate IESV Sacerdos, frater meus optimus, qui mihi in hoc Opere (dum opportunè moraretur Camberij) fraternam opem suam egregiè præstitit.

Iam concursus populorum, maximè cùm ad Vernetum campum spectanda Sindon exhiberetur, maximus fuit. Satis constat, B. Amedeum etsi non firmis viribus, sæpè tamen à Subalpinis ad Transalpinos humili cultu habituque, adorandæ causâ Sindonis, pedibus profectum; insequente etiam Yolanda à Franciâ, religiosissimâ coniuge. Carolum item Ducem, discusso sæuæ luis periculo, auito exemplo, traiectis itinere pedestri Alpibus, cum duodecim non ampliùs (quos sibi adiunxerat) viæ comitibus, Camberium anno M.D.XXII. ingressum, vota pro salute reduci ad sanctam Sindonem perfoluisse. Quin & Franciscum Primum, Francorum Regem, voti reum, quod ad sacrum Linteum in summo Italici belli discrimine conceperat, Lugduno Camberium, anno M. D. XVI. raro religionis exemplo pedibus aduenisse: referentibus Adorno & Pingonio. Ex
qui-

quibus intelligas, sacrum illud pignus Camberij quantâ semper in veneratione fuerit.

Nec verò diuina bonitas vinci se passa est officiis: præter ea miracula de quibus suprâ, quæ tam contingere cùm primùm Sindon in Allobrogum potestatem venit, complura alia censentur sanè memorabilia. multa paucis strinxit Pingonius.

Dehinc non dictu est facile (inquit) quot nuncupata vota feliciter successerint, quot miraculis illustratus sit locus, comprobata conseruataq; loco sincera fides, & maiorum pura religio. Hic mutos loqui, audire surdos, videre cecos, claudos ambulare, leprâ affectos mundari, cacodæmone vexatos liberari, mortuos denique reuiuiscere, quoties visum est, & non semel admiratû? Testes sunt fixa ad sacros postes tabula, siue programmata, chartophylacia, codicilli publici: testis vniuersa Europa, cuius cû nulla non tam remota pars huc accurrerit, nullus non voti compos ad suos lares rediit.

Hæc ille; qui deinde reliquis paginis vario poemate oppletis, vix quina senave miracula recenset. Indolui, & rerum gestarum monumentis apud Sabaudos summâ licet diligentiam disquisitis, vix aliud quidquam comperi. In Sacello S. Sindonis, quatuor non amplius tabellæ extant, eaque vel nullâ, vel situ pænè obliterated epigraphâ. Vna est adolescentis absque læsione ex ponte editissimi

124 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
mo prolapsi; altera languentis puellæ: de quibus
mox distinctiùs. Tertia adolescentis cuiusdam,
qui (quantum ex laceri pæneque consumpti
Epigrammatis verbis quibusdam colligere est) vi
morbi penitùs excæcatus, nouemdiales ad Sin-
donem preces vouerat, & post triduum ab illis
inchoatis, visum diuinitùs recepit: non est adscri-
ptum tempus; sicut neque quartæ tabulæ, ex quâ
colligi videtur, feminam membris captam, quæ
non nisi ligneis fulcris nixa incederet, voto Sin-
doni nuncupato, incolumem abiisse. Plura ne
quære in S. Sacello; nam in archiuo, ne verbum
quidem. Fama est tamen, & affirmant viri adhuc
superstites, prostitisse olim in eo Sacello anathe-
mata plurima, quæ de frequentibus miraculis fi-
dem facerent: ea verò vel incendio absumpta, vel
aliâ temporum iniuriâ excidisse. Sed neque ipsa
miraculo caruit miraculorum consumptrix flam-
ma: historiam accipe ipsis Pingonij verbis, qui
rei gestæ interfuit. *Sed dira, inquit, bellorum præsa-
gia anno M.D. XXXII. demonstrata sunt, cum secundo
Nonas Decembres, Barbara Virginis festo die, no-
cte mediâ vix illabente, illud arcis Sacellum, in quo
Sindon reponebatur, flammis incognitis exarsit: ac-
currebant omnes, sed omnium diligentissimus Philib-
bertus Lambertus, Ducis à clauibus & consiliis, ascii-*

to secum ferrario fabro Gulielmo Puffodo nomine, & Franciscanis duobus; imperterrito animo per medios ignes gradiuntur, cancellos ignitos aræ maximæ affixos, seraq; effringunt, Sindonem iam liquefactâ capsâ argenteâ extrahunt, & integram, cedente circum flammâ, reportant. Effusis ignibus grassabatur incendium, absumebantur marmora & columna; sed potentiore priorum hominû fide, viq; Numinis, superata est ignis natura: fugiebant flamma, & qui putabantur arsiuri, velut frigidore perfundebantur, seq; ipsos sunt admirati, velut illis quondam Hebraeis pueris contigisse credimus. Istud equidem palam omnes vidimus (tunc enim aderam) & obstupuimus. Nec multò post Sindon publicè representata est integerrima; præter quòd (extra tamen sacræ iconis partes) in complicatu, exigua quadam ambustionis nota, veluti perpetua miraculi testes remanserunt. Nihilominus non defuerunt, qui exustam eam mox falsò prædicauerint. Quem casum ubi Clemens VII. Pont. Max. accepit, rem Ludouico Gorreuodo Cardinali, Sedis Apostolicæ Legato committit, qui inquisitione diligenti factâ, eam ipsam Sindonem, quæ antè fuerat, ob signatis tabulis affirmavit. Datæ sunt eæ Tabulæ decimâ quintâ Aprilis, anno M.D.XXXIV. ac postero die, (decimâ sextâ Aprilis) in publicâ Supplicatione Legatus ipse Apostolicus, ad diuæ Claræ Cœnobium in-

tra mœnia, sanctam Sindonem detulit, à piis Sanctimonialibus, ex leui illâ ad angulos adustione, restituendam: quo facto sacer pannus pari solemnitate, & populi frequentiâ, in arcis Sacellum reportatus est. Sapienter super hoc miraculo philosophatus est Simon Maiokus Episcopus Vulturariensis. *Nec fortuitò id factum existimandum est, inquit, ut scilicet ambustionis in linteo signa conspicerentur, in icone autem nulla prorsus fuerit lesio. Id enim contigit, ut eâ ex re miraculi magnitudo adaugeretur, Sanguinisq; Christi privilegium fuisse cognosceretur, non lini Cyprij aut Indici, quod non exuritur: nam si id humanâ arte fuisset aut pictum, aut delibutum, aut fortè lino Cyprio tela contexta putaretur, utrique rei unum respondet miraculum: seruato enim lino, pigmenta omnia igni fuissent obliterated, emundato, non combusto lino: quod tamen tunc contrâ euenit, ut scilicet linum certis locis combureretur, sanguis illæsus perseueraret; ut non lini Cyprij privilegium aut natura, sed diuina in icone potentia manifestaretur. Adde, & hoc magis videri cuipiam potuisse, Sindonem è lino Cyprio, siue amianto textam, nisi leuiter adusta fuisset, quòd ea è Cypro allata crederetur.*

Tom. 1.
Coll. 2.